Quelle: http://manuscripta.at/?ID=32271
Copyright: Lilienfeld, Zisterzienserstift

annos deridebam, et istam carnalem vitam utilem dicebam. Et Quirinus: Fac et me probare, ut si ita est sicut tu credidisti et ego credam. Beatus Hermes dixit: Sanctus Alexander qui habetur in vinculis hic me docuit. Audiens hec Quirinus cepit maledicere Alexandro et dixit ad Hermen: Ego te rogavi dicens: Fac me probare te iuste credidisse, et tu michi nominas hominem magum quem in vinculis habeo et in carceris una conclusum. Si verum est ergo quod dicis, vado ad eum ipse et triplicabo illi vincula et custodes. Si potuerit hora cenandi venire ad te, credam. Ivit ergo et triplicavit vincula, custodes apposuit. Primo ergo noctis initio venit puer qui videbatur esse non amplius quam quinque annorum, ferens faculam ardentem in carcerem, et flectens genua sua cum beato Alexandro oravit dicens dominicam orationem, et apprehendens manum eius eduxit per fenestram et perduxit eum ad beatum Hermen in domum Quirini.

Quirinus vero ut hoc factum vidit extra se factus est. Cui beatus Hermes post alia dixit: Ecce nos vides in unum quos custodiis mancipasti. Causa cur ego huic sancto Alexandro crediderim ista est. Unicus cum michi esset filius in nimio languore positus, qui adhuc ambulabat ad litterarum studia, hic in capitolium cum esset ductus a me et matre sua et sacrificarem diis et pontificibus premia dedissem mortuus est. Tunc me pare me cepit nutrix eius dicens: Si eum ad limina sancti Petri duxisses et credidisses Christo filium tuum incolumem haberes. Cui ego respondi: Dum tu sis ipsa ceca facta et non sis curata, quomodo filium meum reddet incolumem? Si autem istos inquit quinque annos credidissem Christo redditi michi essent oculi. Cui dixi: Vade et crede, et si tibi oculos aperuit Alexander, credam quod et michi reddat filium meum. Tunc illa abiit ad ipsum ceca, et ecce reversa est ad me sana. Imponensque humeris suis mortuum meum filium cucurrit et iactavit eum ante pedes beati Alexandri. At ille oratione facta resuscitavit eum. Ego confestim misi me ad pedes eius et rogavi me christianum fieri. Patrimonium vero matris eius ipsi contuli, aliquanta et de meo addidi, cetera vero aut pauperibus erogavi aut servis meis qui mecum sunt christiani facti dedi. Hec et his similia cum egisset, credidit quoque beatus Hermes. Credidit Quirinus cum omni domo sua et baptizatus est. Aurelianus hec audiens dictavit in ultimo sententiam ut beatus Hermes gladio puniretur. Qui decollatus est et a beata sorore sua Theodora collectus in via Salaria vetere non longe ab urbe Roma sub die quinto mense septembrio sepultus est.

Passio Pelagii martiris eodem die.

Temporibus Numeriani imperatoris fuit vir quidam habitans in civitate Emona, que est in provincia Carnie, nomine Pelusius, cum sua coniuge nomine Clara, diligentes et timentes dominum nostrum Ihesum Christum. Habebant enim unicum filium nomine Pelagium. Et erant ambo obedientes preceptis domini nostri Ihesu Christi, in humilitate et mansuetudine perseverantes, facientes elemosinas multas, cottidie dominum deprecantes ut unicum filium a malis periculis liberaret, quem in fide edocebant christiana. Cum ergo esset infans annorum fere VII, commendaverunt eum cuidam presbytero nomine Uranio, qui erat occultus propter metum paganorum, qui et docuit eum litteras fidemque veram. Cum autem factus esset annorum XII, pater eius Pelusius migravit ad dominum, relinquens pecunias multas supramemorato presbytero Uranio administrandum pauperum. Et cum esset infans adultus usque in annos XVIII, similiter et Helara mater eius de hoc seculo recessit. Beatus autem Pelagius accepta potestate omnem familiam suam manumisit, distribuit pecuniam et universa que relinquere potuerunt parentes eius, et cepit cum memorato commorari presbytero. Cum autem esset annorum XXV, facta est persecutio christianis acerrima sub Numeriano imperatore. Et venit quidam iniquissimus iudex Evilasius nomine, directus a Numeriano imperatore in supramemoratam civitatem Emonam. Hic iudex impius et seuissimus erat in christianos, qui multas civitates peragrans, multos dei servos pro bona confessione ad dominum transmisit cum victorie palma. Qui cum noctis hora tertia in civitatem ingressus fuisset sub silencio, alia die populum aggregavit et cepit voce preconia clamare dicens: Secundum preceptum imperiale sacrificate diis immortalibus. Si quis autem inventus fuerit preceptis domini mei invictissimi principis non obedientes et fuerint contemptores et non immolaverint diis, diversis penis eos puniam et corpora eorum canibus derelinquam. Quo audito universi viri ac mulieres derelinquebant dominum et immolabant idolis. Erat enim immensa persecutio adversus christianos. Quo audito dei famulus Pelagius flectens genua lacrimas fudit coram domino dicens: Vide domine Ihesu Christe quomodo appropinquaverunt persequentes qui querunt velut aquam absorbere nos. Eadem vero